



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Regvla Morvm Sive Tractatvs Bipartitvs De Sufficienti Ad
Conscientiam Rite Formandam Regvla In Quo Usus
Cujusvis Opinionis Practice Probabilis Convincitur Esse
Licitus**

Terillus, Antonius

Leodii, 1678

Quest. XXVII. Vtrùm vera probabilitas dari possit contra certum & evidens?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77827](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77827)

tebat, inconsequentiam hic explicatam illi obijci potuiffic.

Non omnis opinio communior est probabilior. Respondeo non omnem opinionem communior esse probabilior, sed illud demum cuique probabilior est, quod ipsi magis probatur. Itaque ex hoc capite certum est, probabilior dari non posse contra oppositum evidens. Rursus quamvis Celladeam probabilitatis definitioni insistamus, non apparet quomodo maior sit impunitas legalis pro parte falsa, quam pro parte contraria certa & evidenti. Quis enim legitimus iudex unquam censuravit aut prohibuit editionem ac defensionem sententiarum certarum & evi-

dentis, ut sic faveret opinioni certo & evidenter falsae, illique impunitatem tribueret, quam sententiarum evidenter verarum negavit? Nonne qui ita faceret, eo ipso nulliter faceret, quia limites suae facultatis excederet? Si nulliter ageret, talis impunitas, etsi concederetur (quae tamen, nisi fallor, nunquam concessa est, nec Celladeus ostendere potest casum, in quo concessa fuerit) eo ipso nulla esset, quia esset certo illegalis. Ergo probabilior repugnat cum contrario certo & evidenti, etiam juxta falsissimam probabilitatis definitionem, à Celladeo traditam. Ergo inconsequenter locutus est.

QUAESTIO VIGESIMA- SEPTIMA.

*An & quomodo opinio, quae erat probabilis, evadat
improbabilis?*

PROPRIO quaestione hanc sub istis terminis, ut ea examinem, quae Celladeus tradit lib. 2. quaest. 6. ea enim omnia majorem ad hunc quam ad ullum alium titulum respectum habere videntur. Sit ergo.

ASSERTIO PRIMA.

*Opinio ex probabilis evadere potest improba-
bilis. Propositum autem sit modum ostendere, quo probabilitas desinit.*

Probabilitas desinere potest, & modus, quo desinit, explicatur.

ASSERTIO est certissima, & in ea omnes conveniunt. Ratio est, quia probabilitas desinit, quoties ipsius constitutiva tolluntur. At illa tolli possunt, constitutiva enim probabilitatis multa sunt: primò requiritur ratio vehementer sollicitans intellectum ad assensum, quae proinde sit magna non solum absolute, sed etiam respectivè ad omnia, quae post debitam diligentiam afferri possunt in contrarium. Secundò requiritur, ne quid certi in contrarium afferatur. De istis aliisque probabilitatis constitutivis fusè egit qq. 2. 3. 5. & 6. de Consc. prob. ubi omnia ad hanc materiam spectantia declarata sunt. Jam hæc omnia auferri possunt. Inprimis ratio evidenter solvi potest. Deinde etsi evidenter non solvatur, possunt tot rationes in contrarium afferri, ut prior illa vigorem suum perdat. Tertio, potest aliquid certum in contrarium afferri de novo, idque dupliciter, primò si demonstratio oppositi de novo reperitur. Secundò si Ecclesia declaret oppositum, aut expresse prohibeat rem, quae antea censebatur probabilis. In his casibus constitutiva probabilitatis tolluntur. Ergo probabilitas cessare potest. Cessat autem, si omnia, siue aliqua tantum illorum auferantur, quia omnia collectivè sumpta sunt ipsi essentialia, sicut anima corpus & unio sunt essentialia homini. Ergo opinio, quae erat probabilis, evadere potest improba- bilis, & modus, quo opinio suam probabilitatem perdit, ostensus est.

3. Hinc apparet, Celladeum frustra carpere Theologum quendam, ut vocat, primarium, eò quòd ille diceret, se nescire quomodo Pontifex efficere posset, ut opinio hoc anno probabilis fieret improbabilis anno sequenti, quamvis carperet, quomodo idem Pontifex efficere posset, ut aliquid sit de fide, quòd antea non erat. Frustra, inquam, hunc hominem carpit, non enim adeo imperitus esse potuit primarius ille Theologus, ut diceret, oppositum dogmatis ab Ecclesia definiti manere probabile, quia per hoc ipsum apparet certitudo in contrarium, & consequenter probabilitas in omnium nostrum sententia desinit. Ergo ille Theologus bene intelligebat, quomodo Pontifex simpliciter tollere posset probabilitatem ab opinione. Aliud ergo, nisi fallor, non dicebat, quàm quod impossibile sit probabilitatem deperdi, quamdiu omnia ejus constitutiva manent immutata; quod procul dubio verum est: nec Pontifex, illis immutatis, efficere poterit, ut probabilitas, utpote ab illis indistincta, non remaneat; quod verum est. Quod si aliud dixerit, afferantur determinata ejus verba, & tunc illum rejiciam, si, quod non credo, tam absurde locutus sit, ut Celladeus insinuat.

4. Equivocat etiam Celladeus, dum sic arguit pro illo Theologo. Pontifex non potest facere ut hoc anno non sit recta morum regula, quae arguit, ut si hoc anno praterito erat recta morum regula. At opinio probabilis hoc anno est recta morum regula. Ergo Pontifex non potest efficere, ut anno sequenti sit improbabilis. Probat majorem primò à simili, exemplo regularum extrinsecarum; efficere enim nequit Pontifex, ut horologium vel ulna, quae hoc anno sunt rectae mensurae, non sint rectae anno sequenti. Ergo idem in casu praesenti. Deinde probat eandem majorem à priori, quia probabilitas non est minus intrinseca opinioni probabilis, quàm veritas opinionis verae. Ergo sicut nemo efficere potest, ut opinio vera hoc anno evadat falsa anno sequenti, nisi objectum varietur, ita nil variando de rationibus & fundamentis opinionis, nemo efficere potest, ut evadat

Celladeum frustra carpit Theologum quendam.

Celladeus equivocat arguit, ut si hoc anno praterito erat recta morum regula.

ASSERTIO II.

Per hoc quod probabilitas ab aliqua opinione per Pontificis definitionem tollatur, eo ipso efficitur, ut quæ erat, non sit amplius recta morum regula.

dat improbabilis. At Pontifex, nisi legem aliquam constituat aut tollat, nil variat de fundamentis & rationibus opinionis probabilis hoc anno. Ergo nequit illam reddere improbabilem anno sequenti.

Æquivocat, inquam, Celladeus, quia multarum regularum mutari, aboleri, ac condi possunt à supremo principe. Tales sunt leges ea præcipientes, quæ antea honestè omitti poterant, aut prohibentes, quæ antea licitè fiebant. Hæ leges sunt regulæ morum, quibus subditi diriguntur. Has alterare potest, & efficere, ut regula hujus anni definit anno sequenti. Itaque argumentatio tota falso fundamento nititur. Cur ergo eam adhibuit Celladeus, ut, primarii illius Theologi partes ageret? hoc est potius homini illudere, quam partes illius plausibiliter tueri. Viri eximii tali patrocinio non indigent, imò defensiones ejusmodi ipsis gratæ non sunt, cum non nisi explosione dignæ censi possint. Jam quod dictum est de regula morum ejusque defectibilitate, æquè quadrat in probabilitatem, ut patet, utpote quæ tolli potest, sicut aliæ quædam indubitatae morum regulæ alterationi subiacent.

5. Rursus in majoris confirmatione, iterum patenter æquivocat Celladeus. Inprimis materiales illæ mensuræ destrui aut variari possunt, nec ad hoc opus est ad supremum principem confugere, cum quivis eas vitare, aut corrumpere possit. Verùm quidem est, quod horologium jam ritè dispositum non possit perdere rationem mensuræ, quam habet, si omnia immutata manent; hoc autem æquè procedit de probabilitate aliisque omnibus, ac de horologio, ulna, &c. Et hoc est, quod eximius ille Theologus præsumitur docuisse.

6. Rursus in confirmatione à priori errat in supposito, quia veritas nulli propositioni incertæ est adæquatè intrinseca, ideoque eadem propositio vocalis materialiter sumpta apta est ut transeat de vera in falsam, quia eadem diversis temporibus loco diversorum ac dissimilium actuum intellectus substitui potest. Unde cum probabilitas non sit magis intrinseca propositioni vocali, quam veritas, utraque eidem mutabilitati subiacet, ut patet. Porro si probabilitas sit intrinseca alicui actui intellectus, impossibile erit illam probabilitatem aliter ab actu auferre, quam actum illum destruendo. Destruitur autem removendo objectum, in quo fundatur, aut producendo actum impossibilem, &c.

7. Demum Celladeus in fine argumenti destruit totum, quod antea proposuerat, quia fatetur, veritatem auferri posse, si objectum auferatur, eo autem manente, nullam in veritate alterationem fieri posse. At hoc ipsum est, quod Theologus ille, & nos omnes dicimus de probabilitate; illa enim inalterabilis est, quamdiu omnia ejus objecta & motiva tam positiva quam negativa, quibus intellectus impellitur, manent immutata; neque Pontifex aut quisquam efficere potest, ut illis manentibus cesset probabilitas. At si illa mutantur, ut mutari possunt, absque dubio deficiet probabilitas. Cæterum eo ipso quod Pontifex aliquid definiat, potissimum, in quo probabilitas oppositi fundatur, tollitur, quia jam habetur certitudo, in cujus carentia probabilitas consistebat, ut dictum est.

8. **P**ROBATUR contra Celladeum in §. 5. Mutatur regula, & 6. hujus quest. 6. Quamdiu opinio fundat judicium non temerarium, sed prudentem, conceptum de honestate sui objecti, tamdiu est recta ac prudens morum regula. Sed omnis opinio fundat ejusmodi judicium, quamdiu manet probabilitas, ut patet ex notione ac definitione terminorum. Ergo opinio tamdiu est recta morum regula, quamdiu manet probabilitas. Totus hic discursus multimodè probatus est, tum in hoc, tum in tract. de Const. prob. nec ulteriori probatione indiget. Rursus è contrario, opinio, quæ tale judicium non fundat, non est recta morum regula, ut patet. Atqui opinio probabilis perdere potest suam probabilitatem: eam autem ablata, simul tollitur fundamentum eliciendi prudens judicium de honestate talis objecti. Ergo eo ipso efficitur, ut illa opinio materialiter sumpta, quæ erat, non sit amplius recta morum regula.

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

9. **N**ULLA unquam doctrina prohibita fuit à Romano Pontifice, quæ ullo unquam tempore fuit recta morum regula; ipsius enim est regulas distortas rectificare, seu potius declarare illas esse distortas, non autem rectas abolere. Ergo Pontifex nunquam facit, ut recta morum regula fiat non recta, sed solum facit, ut doctrina prius tolerata, non amplius toleretur. Per hoc autem facit, ne quis deinde ex ignorantia per illam doctrinam regulari velit. Ita Celladeus §. 5. Nec aliud pro hac sua doctrina assert.

Respondeo, sufficientem, seu rectam morum regulam esse in duplici differentia; alia est regula per se, alia per accidens, seu quod idem est, alia est materialiter & formaliter, alia solum formaliter recta. Illa doctrina est materialiter & formaliter, seu per se recta morum regula, quæ veritati rerum, & directæ Dei intentioni correspondet. Illa verò est recta per accidens, quæ, quando veritas sciri non potest, est rationabilis præsumptio de ipsa veritate. Certum autem est plures dari ejusmodi regulas. Inprimis omnis error invincibilis est ejusmodi regula; homo enim ex invincibili errore operans non sine regula operatur. At aliam non habet, quam veritatem merè apparentem sub tali gradu in talibus circumstantiis. Ergo veritas sic apparens est regula, & quidem formaliter & per accidens recta, quia absque dubio operantem excusat, & operationem, quidquid Celladeus in contrarium dicat, honestam fundat. Datur ergo regula per accidens & solum formaliter recta, quæ materialiter distorta est. Eadem est ratio de omni opinione probabili, quamdiu manet probabilitas; tamdiu enim lex non est sufficienter promulgata aut applicata; tamdiu melior est conditio libertatis possidentis; tamdiu, omnibus pensatis, si lis institueretur, pro libertate judicandum esset; demum tamdiu alia plura suppetunt, quorum singula hæc & nunc ad conscientiam debite formandam sufficiunt.

ciunt, quia in hac rerum incertitudine hæ sunt regulæ maximè rationabiles, quibus vitam nostram instituire possumus.

Pontificis est regulas morum, solum per accidens re-ctas, abolere.

10. Ex his patet responsio ad objectionem; nulla enim doctrina unquam damnata fuit ab Ecclesia ut falsa, quæ ullo tempore fuit regula morum materialiter & per se re-cta; ipsius enim, utpote Judicis infallibilis, est regulas per se materialiter distortas re-ctificare, seu potius infallibili judicio distortas declarare. Ex eodem capite certum est, eundem non posse regulas per se & materialiter re-ctas abolere, quamdiu doctrinæ illæ manent veræ, ac materialiter re-ctæ. Quod si, ex circumstantiarum varietate, aut materia subtractione, aliqua veritatem perdat, tunc hoc ipsum docere ad supremum Pastorem pertinet. At si sermo sit de regula morum formaliter tantum, seu per accidens re-cta, tam antecedens quam consequens argumenti est falsum. Pontificis enim est non solum vincibiliter, sed etiam invincibiliter errantes docere, atque regulas omnes non materialiter & per se re-ctas abolere. Quin & plures ejusmodi abolere, declarando illas fuisse erroneas ac materialiter malas; neque tamen ideo vel leviter insinuat, eos peccasse, qui antea talem doctrinam sequuti sunt.

Celladeus nullam de obvis distinctionibus mentionem facit.

11. Quæ cum clara sint, mirum est Celladeum res tam disparatas & oppositas confundere potuisse, atque de omnibus eo modo in genere locutum fuisse, ac si de altera tantum parte, nempe de regula materialiter ac per se re-cta, loquendum fuisset. Certè distinctio hæc nec difficilis nec recondita est, sed ab Auctoribus benignæ sententiæ usurpata. Cur ergo Celladeus de tali distinctione nec verbum fecit? viderit ipse, & pro se respondeat, si possit.

ERRORES CELLADEI CIRCA Revisorum obligationem.

QUÆRES, quid dicendum sit de iis, quæ Celladeus §. 3. & 4. tradit de Revisorum obligationibus & approbationibus?

Respondeo illa parum facere ad intentum præfens, ideoque non expedire ut in illis multum immoremur. Nihilominus juvat, errores illius in hac re notare, quia inde non parvum commodum benignæ sententiæ provenire potest.

Ordinariæ Revisorum approbationes multum conferunt ad probabilitatem opinionis, quæ in libro continentur.

12. Inprimis errat, dum dicit, ordinariæ Revisorum approbationes nil conferre ad probabilitatem pro formanda conscientia requisitam. Hoc enim est contra omnium sensum; cur enim Ecclesia tam sedulo cavet, ne libri, præsertim de rebus fidei ac morum, absque diligenti Revisorum censura edantur? non nisi quia timet, ne quod est erroneum ac insufficienti proponatur ut verum & sufficiens pro fide ac conscientia regulanda. Censet ergo Ecclesia, fidem non immerito tribui illis libris, quos constat editos non fuisse, nisi prævia diligenti eorum revisione ac censura. Itaque quamdiu nil affertur in oppositum, evidens est, Revisorum approbationem plurimum conducere ad probabilitatem extrinsecam, per quam plurimi gubernantur, etsi non tantum conducant ad augmentum probabilitatis intrinsecæ apud virum peritissimum, qui totam libri doctrinam diligenter evolvit, quia illi aliud non faciunt, quam approbare doctrinam & rationes, quas in libro illo invenerunt, absque eò quod veritatem illarum novis argumentis confirmant. Unde approbatio illorum non adeo

multum conducit ad hoc, ut peritissimus quisque præsumat doctrinas in libro contentas esse veras.

13. Errat secundò, dum dicit, Sanctum Thomam approbaturum fuisse librum, quem ex officio revidisset, etiam quoad ea, quæ evidenter scivisset esse erronea, modò errores illi aliis essent incompti. Errat, inquam, tum quia absque fundamento hoc dicit, tum quia durum videtur id de tam Sancto doctroque viro existimare. In his enim nemo positivè ac directè concurrere potest, ut falsa illa opinio in aliorum mentibus propagetur. At Revisor, approbans librum, positivè concurreret ad errorem sua auctoritate cohonestandum, ideoque malè faceret; sed & contra munus suum peccaret; ideo enim instituitur Revisor, ne errores certos, aut periculosa & minus probata edi permittant. Ergo talium editioni resistere debent, quantum est in ipsis. Hoc enim illorum officium postulat. Quod confirmatur. Quis enim credat, Pontificem, aut Episcopum quemvis contentum fore, si sciret, Censorem, quem instituit, libros approbare, in quibus evidenter sciebat, plures errores contra fidem ac legem Dei comprehendi? Hæc probant, officium Revisoris postulare magnam hæc in parte sinceritatem, & animi libertatem. Et sanè ipsamet approbatio cuique præbet fundamentum credendi, Revisores non existimasse propositiones, à se approbatas, esse evidenter falsas. Quod iterum indicat, approbationem evidenter fallorum officio ipsorum repugnare, eosque mentiri, si talia approbent. Sed de hoc mendacio mox plura subjungam.

14. Hoc tamen non obstat, quo minus Revisores approbent sententiæ, quas falsas reputant, modò sciant eas esse probabiles. Maxime si videant Doctores peritos & probos post examen rationum, quibus ipsi nituntur, contrarium tenere; quia tunc veritas est incerta, & res utrumque probabilis, quæ proinde ob contrariam Revisoris opinionem rejici ac condemnari non debet.

Postunt ipse probare probabilitatem ab ipso probatis haberi.

15. Neque ex subscriptione contra propriam sententiæ sequitur Revisorem mentiri, quia nemo ex tali subscriptione prudenter infert, quòd Revisor putet omnia in libro contenta esse vera; sed solum quòd putet ea temeritate carere, seu esse probabilia, aut ad minimum aperta veritati non repugnare. At si contra evidentiam subscriberet, mentiretur; quia sua subscriptione protestaretur, se nil vidisse in libro, quod infallibili veritati contradiceret, cum tamen aliter in mente sua judicaret. Rursus ex alio titulo mentiretur, quia expressè diceret, nil reperi in libro fidei ac bonis moribus contrarium, cum tamen certò & evidenter sciret, plura bonis moribus ac legi Dei contraria in illo contineri.

Mentitur Revisor qui evidenter falsam approbat.

16. Neque satisfacit Celladeus dicendo, Revisores in illis casibus non mentiri, quia sensus subscriptionis est, librum, relatè ad communem hominum existimationem, nil falsum, aut bonis moribus repugnans continere, quod verum est, etsi ipsi ex privata sententiâ certò sciant librum errores continere. Præterea, non intendunt, inquit, approbaturum librum fieri regulam morum, sed solum illud probabile conferre volunt, quod ceteris libris, qui edi solent, commune est: hoc autem non est probabile conscientia, ut toties ex communi Auctorum consensu ostensum fuit.

Non, inquam, satisfacit, quia approbatio libri, ex officio facta, non solum indicat, quid Revisor

Evasio Cel-
ladei eos à
mendacio
non excu-
sat.

Revisor judicet de doctrina relatè ad communem aliorum existimationem, sed quid ipse de ea, ejusque merito judicet. Unde ad minimum indicat, Revisorem putare, doctrinam illam non esse certò erroneam, sed omnibus inspectis merito præfumi posse rationabilem. Deinde quod subjungit, Revisores non intendere librum, quem approbant, fieri regulam morum, est apertè falsum. Libri enim morales ideo eduntur, ut per illos aliorum conscientiarum regulentur. Itaque qui librum approbant, apertè declarant, illum fini suo, seu conscientiarum dirigendis, esse idoneum. Ergo intendunt affirmare, doctrinam libri habere probabilitatem sufficientem ad conscientiam debite formandam, si liber ipse doctrinam proponat ut tales; nec hoc solum affirmant, sed etiam eandem probabilitatem conscientiarum suo calculo aequaliter augent, magisque præsumibilem constituunt, ut patet. Demum quod ultimo loco dicit, probabile conscientiarum non esse idem cum probabili, quod Auctores opinionibus tribuunt, idque se ex communi Auctorum consensu sæpius ostendisse, omni ex parte falsum est. Evidens enim est ex lectione libri, Celladeum nullibi communem Auctorum sensum pro hujus rei confirmatione attulisse, sed modò lectorem ad scientiam misisse, & cum ad sequentia ventum est, iterum ad antecedentia remisisse, ac si in illis res confecta fuisset, quod est lectori illudere: sed circa hoc pluribus opus non est, cum falsitas hujus asserti quæst. superiore explota sit.

Revisor li-
bri non se
habet instar
Judicis ad
reum.

17. Errat tertio in eo, quod dicit, privatam Revisoris scientiam de errore doctrinæ in libro contentæ, non posse magis obesse libri editioni, quando doctrina illa communiter toleratur, quam privatam judicis notitiam reo, quando ille juxta allegata & probata criminis non vincitur. Errat, inquam, quia Revisores non instituuntur tamquam judices, qui juxta aliorum informationem, sed potissimè juxta propriam ac privatam notitiam judicent, & censuram ferant. Itaque factor, judicem ex privata scientia non posse quemquam damnare reum homicidii, de quo accusatur, sed debere eum liberum dimittere, si ex actis non vincatur esse reus, quamvis ipse certò sciat, illum patrasse illud homicidium. Ratio est, quia ille non potest aliter judicare, quam juxta facultatem ipsi à principe communicatam; illa autem facultas solum extenditur ad hoc, ut juxta allegata & probata procedat, ipsique inhibetur, ne simul sit judex & testis. At si sermo sit de supremo judice, qui facultatem habet nulli subordinatam, non est cur ille non possit juxta propriam scientiam procedere, & sic quodammodò fieri simul testis & judex, quamvis revera ipse tunc testem propriè non agat; nam reus, qui in oculis ipsius peccavit, seipsum accusavit ac convicit. Est ergo solum testis, quatenus authenticè testificat

subditis, se certò conscium esse criminis, ob quod reum absque ulteriori examine, utpote quod in tali casu necessarium non est, capitis damnat. Jam viri præstantis tantum doctrinæ eliguntur in Revisores ac Censores librorum, ut ipsi ex sua scientia censurare ac corrigere possint, quæ correctione ac censura digna noverint. Itaque haud dubiè instituuntur, ut ex privata etiam scientia judicium ferant.

18. Sed ut hoc clariùs pateat. Exemplo sit Revisor, Mathematicos peritus, qui librum Geometricum censendum accipiat. Ponamus illum evidenter scire, quod liber plures errores pro demonstrationibus proponat. Sanè illè suo muneri haud satisfaciet, si errores non detegat, expressè que declaret, ubi errores latent; quod verum est, etsi plurimi, immò plerique reputent, errores illos esse veritates demonstratas. Quis ergo dixerit, eum suo officio fungi, qui absque censura & emendatione librum approbat, in quo evidenter scit, plures esse errores contra rectos mores, & legem Dei? Anne plures est homines in Mathematicis quam in moralibus decipi? Præterea Revisor non licitè approbat librum, in quo nova opinio cuditur, si evidenter sciat, illam esse falsam, quamvis videat rationes, quas Auctor assert, esse plausibiles, & plurimis placituras. Hoc adeo verum videtur, ut in dubium revocari non possit; quomodo enim non offenderet Deum, qui suo chyrographo approbaret, quod certò scit legi divinæ esse contrarium, quando Auctor libri, casum de novo inveniens, illum toti mundo proponit ut licitum. Ecce casum habemus, in quo Celladeus ipse, ni fallor, non dissitebitur, scientiam privatam Revisoris nocere posse librorum editioni, quia Revisor in illo casu simul est testis & judex, ideoque aliter se gerere debet, quam judex criminalis in foro externo. Quod si hoc faciendum sit in casu opinionis novæ & peculiaris, quamvis plausibiliter probetur, idem pariter fieri debet in opinionibus communibus, quia utrobique idem est Revisoris officium, eadem obligatio.

Revisor Ma-
thematicos pe-
ritus nõ sa-
tisfaciet mu-
neri, si evi-
denter erro-
res pro de-
monstratio-
nibus pro-
positos ap-
probet.

Revisor de-
bet impro-
bare opinio-
nem novam
evidenter
falsam.

19. Equivocatio in eo latet, quod rarissimè contingat, Revisores habere talem evidentiam. Verum quidem est, quod aliquando reflexè putent, aliqua esse certa, sed opinativè tantum & formidolosè hoc asserunt. Unde non habent veram, sed solum existimatam scientiam. In tali autem casu non semper debent tantum suæ opinionis tribuere, ut illius incertitudo sufficere possit ad alienam sententiam condemnandam. Itaque in tali casu Revisor probare potest opinionem suæ contrariam, si illa ab aliis communiter habeatur vera, maxime si illi sint viri valde periti, simulque conscii sint rationum, quas offert, & existiment, ac profiteantur, se illas solvere, illisque non obstantibus, reputent oppositum esse verum.

X 3

QUÆ-